



1. Carпов (i. iac.) Specimen quintum  
de Applicatione Methodi Scienti-  
ficae ad Theologiam revelatam,  
Iena.
2. Carпов (i. joh: Bened.) Diss. de  
iure decidendi Controversias Theolo-  
gicas, Lipsia, 1695.
3. Deutschmann (i. Abrah: Henr.)  
Diss. de Immortalitate et Immuta-  
bilitate Divinae Essentiae, Witten-  
berga, 1692.
4. Gesner (i. Salom.) Diss. II. de Eccle-  
sia triumphante in Coelis,  
Wittenberga, 1695.

14

DISQVISITIO PHILOLOGICA  
CONIECTVRALIS  
DE  
**PALO CARNI PAVLI**  
**DATO.**

---

*AD ILLUSTRANDVM II COR. XII, 7.*  
*INSTITVIT*

**M. JO. GOTTF. LAKEMACHER.**

---

*HELMSTADII*  
TYPIS HERM. DANIELIS HAMMII ACAD. TYPOGR.



DISCVSITIO PHILOLOGICA  
CONIECTURALIS  
DE  
PALO CARNI PAVLI  
DATO.

---

AD ILLVSTRANDVM HON. ALC. P.  
INSTITVT  
M. JO. GOTTEI LAKEMACHER.

---

HELMSTADII  
TYPIS HERM. DANIELIS HANMII ACAD. TYPOGR.



Virtute, ingenio & doctrina florentissimis Do-  
minis Commilitonibus, Fautoribus amicis:

*Joh. Petro Rudow, Danneberga - Lüneburgico.*  
*Joh. Jacobo Woldeke, Volkmarisdorffio - Brunsvicensi.*  
*Henr. Augusto Lindener, Brunsvicensi.*  
*Basilio Casp. Wideburg, Helmstadiensi.*  
*Ludov. Henr. Koch, Halberstadiensi.*  
*Pet. Philippo Krafft, Bücka - Cellensi.*  
*Joh. Friederico Schwan, Athensteto - Halberstadiensi.*  
*Maximil. Ernesto Heusinger, Mega - Vahlbergensi.*  
*Joh. Christoph. Gottfriedo Kersten, Soltquellensi Marchico.*  
*Joh. Petro Horn, Verdensi.*  
*Christiano Henr. Ramdohr, Guelpherbytano.*  
*Henr. Gottfriedo Baumann, Dingelsteto - Halberstadiensi.*  
*Fried. Francisco Götzen, Holtzmindensi.*

Ut et

*Fried. Guilielmo Rezlövio, Soltquellensi Marchico.*  
*Joh. Henrico Moritz, Halberstadiensi.*  
*Christiano Duncker, Eistrupa - Cellensi.*  
*Emil. Joh. Ludovico Lampe, Bærnica - Halberstadiensi.*  
*Henr. Gottfriedo Baumann, Dingelsteto - Halberstadiensi.*  
*Joh. Fried. Schwan, Athensteto - Halberstadiensi.*  
*Adamo Anton. Wercamp, Rodewalda - Hannoverano.*  
*Carolo Wercamp, Rodewalda - Hannoverano.*  
*Joh. Wilh. Diederico Knigge, Harburgo - Lüneburgico.*  
*Ge. Henrico Seelborst, Kirrbritza - Cellensi.*  
*Dav. Friederico Sauberzweig, Osterweddinga - Magdeb.*  
*Joh. Ernesto Rieseberg, Erenburga - Cellensi.*  
*Anton. Wilhelmo Vælschen, Guelpherbytano.*  
*Joh. Wilhelmo Schlette, Luchovia - Lüneburgico.*  
*Henr. Julio Jeger, Stadoldendorpio - Brunsvicensi.*  
*Ern. Danieli Hogreve, Wülfinga - Hannoverano.*

A 2

Conra-

*Conrado Gottlieb Dedekind, Gerda-Hannoverano.*

*Job. Christiano Heimann, Hannoverano.*

*Job. Christophoro Arnemann, Gättingensi.*

*Job. Henrico Reitemeier, Kennada-Brunsvicensi.*

*Job. Ludovico Hirschfeld, Martfelda-Cellensi.*

*Thomæ Büter, Lintheloba-Verdensi.*

*Basilio Casp. Wideburg, Helmstadiensi.*

*Pet. Philippo Kræfft, Bücka-Cellensi.*

ILLIS collegii philologici in acta apostolorum, HIS si-  
milis operæ, evangelio Matthæi impensæ,  
Auditoribus solertissimis

S. O.

**M**Eministis, Commilitones optimi, in reci-  
tationibus, quibus novi fœderis libros ali-  
quos vobis interpretor, abs me moneri sæpius,  
consulendas esse res Judæorum antiquas, si quis  
in monumentis hisce sacris explicandis non in-  
feliciter versari velit. Quid enim magis pro-  
num, quam ut ii, qui ex Judæis nati, inter hos  
educati & versati (quales utique fuere novi te-  
stamenti scriptores) ad gentis suæ ritus, mores,  
instituta & dogmata subinde respiciant? Quod  
qui non attendunt, mentem scriptori sacro af-  
fingunt plane alienam, & sensum verbis ejus  
non raro tribuunt, de quo ille ne per somnium  
quidem cogitasse censendus est. Nos igitur,  
ut gravem horum errorem evitemus, studiose,  
quod

quod nostis, allaboramus, ut ex fontibus suis ea illustremus, quæ non aliunde, quam ex antiquitate Judaica, lucem expectant. Cujus generis exempla permulta passim sese obtulerunt, cum in actis apostolorum tum in Matthæi evangelio. Tale v. c. est illud Act. V, 40. ubi synedrium flagris castigasse apostolos audivimus, qua occasione momenta præcipua, quæ ad hanc pœnam pertinent, me exposuisse recorder, sine quibus cognitis vis vocis *δείραντες* non satis perspicitur. Observasse istum flagellandi morem, inter Judæos receptum, posthac nobis quoque proderit ad Matth. X, 17. XXI, 35. XXIII, 34. recte intelligenda. Ex eodem supplicio Judaico locum aliquem Pauli, interpretibus obscurum, dilucidare nunc institui commentatione præsentis, quam VOBIS, Commilitones Præstantissimi, qui operam mihi datis sedulo, dico ac sacram esse volo. Accipite ergo illam, Carissima pectora, benevole, & quod facere soletis, favore & studio in me vestro studia mea excitare pergite. Valete & vivite, Spes ecclesiæ læta !

Scr. in Acad. Julia  
d. 20. Aug. 1722.

*Vestris Nominibus & studiis  
assiduè  
addictissimus*

M. JOH. GOTTFR. LAKEMACHER,

A 3

§. I.

**Q**uam ecclesiam Corinthi summa cum cura fundaverat Paulus, eam pseudapostolorum vanitate postea corrumpi non sine impenso dolore idem intellexit. Suo etiam exemplo comprobaverant Corinthii, quam sint proni hominum animi ad veritatem deserendam, si quo fūco ornentur ea, quæ ab illa longe sunt remota. Nulli pepercerant operæ homines ventosi, ut Corinthios a fidelissimis Pauli præceptis averterent ac sua placita illis obtruderent, quæ a vero tanto aberant longius, quanto in auctoribus minus erat cum perspicacitatis, tum integritatis, quam in Paulo. Cum igitur in aberrationis periculum istum gregem adductum sentiret apostolorum optimus, nihil eorum prætermisit, quæ quidem ad eum in viam reducendum pertinere videbantur. Quod ut perficeret, posteriorem Corinthiis misit epistolam, qua omni studio id egit, ut, quæ falsa dogmata eorum animis instillaverant apostolici nominis usurpatores, ea refelleret. Et cum generis illi, qua fulgerent, dignitatem & in rem evangelicam merita, quo facilius imponent imprudentibus, valdopere jactassent, ostendit Paulus, se, siquidem ex istis rebus, in quibus gloriam illi quærent, gloria sit captanda, non minorem, si non majorem, gloriandi habere causam. Multa præterea & dura evangelii causa se perperis confirmat, indultas quoque sibi fuisse revelationes plane singulares, quibus fieri posset, ut superbiret animus, nisi essent, quæ, quo minus id accideret, impedirent.

τῆ ὑπερβολῆ, ἰνquit, τῶν δόξα καλύψων ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι, ἰδέθη μοι σκόλοψ τῆ σαρκὸς, ἀγγελος σαῶν, ἵνα με κολαφίσῃ, ἵνα μὴ ὑπεραίρωμαι.

*Ut revelationum magnitudine elatus ne fiam, datus est*



*est mihi palus carni, angelus Satana, ut colaphis me ca-*  
*dat, ne extollar.* II. Cor. XII. 7.

Quibus verbis, ad pœnæ aliquod genus alludere  
opinamur apostolum, quod notissimum erat inter Ju-  
dæos, & quod ipse, licet innocentissimus, non raro fue-  
rat passus.

§. II.

Nempe si quid delictum esset ab aliquo, quod mor-  
tem quidem non merebatur, animadversione tamen  
graviori dignum censebatur, flagris eum cædi moris  
erat. Quod ut rite fieret, manus rei columnæ, seu pa-  
lo terræ infixæ, alligabantur utrinque, ita ut carnem  
seu corpus incurvum attingeret palus, & huic quasi af-  
fixus videretur, dum medio corpore inclinatus in pa-  
lum incumberet flagellandus. Didicisse videntur Judæi  
hunc morem a Romanis, apud quos ad palum alligari  
solebant supplicio traditi, cum ante supplicium ipsum  
verberandi essent. Vid. Cicer. in Verrem l. V. c. 5.  
Constitutus post reum erat in lapide elevatori חזן הכנסת  
*minister synagoge*, שליח שצבור, vel חזן בית רין *angelus*  
seu legatus *ecclesie*, vel & *legatus judicum* alias dictus, qui  
plagas tredecim infligeret reo, flagro tribus loris distin-  
cto, ut plagæ singulæ simul sumptæ essent triginta novem.

§. III.

Plenius hæc intelliguntur ex Mischnæ verbis in מכות  
f. tract. *de plagis*, c. III. §. 12. 13. & 14. quibus pœnæ appa-  
ratus omnis luculenter describitur: כיצד מלקין אותו כופת  
שתי ידיו על העמוד הימני והימני וחזן הכנסת אוחז בכגרו או  
נקרעו נקרעו ואם נפרמו נפרמו עד שהוא מגלה את לבו והאבן  
נתונה מאחוריו חזן הכנסת עומד עליו ורצועה של ענל בידו כפולה  
אחד לשנים ושנים לארבעה ושתי רצועות עולות ויורדות  
בה ירה טפח ורחבה טפח וראשו מגעת על פי כריסו  
ומכה אותו שליש מלפניו ושתי ידות מלאחריו ואינו מכה אותו  
לא

לא עומר ולא יושב אלא מוטה שנאמר והפילו השופט והמכה  
מכה כידו אחת ככל כחו והקורא קורא אם לא תשמור לעשות  
וגו' והפלא ה' את מכותך ואת מכות וגו' וחזור לתחילת המקרא  
ושמרתם את דברי הברית הזאת וגו' והותם והוא רחום יכפר עון  
וגו' וחזור לתחילת המקרא: *Quomodo flagellant illum? Al-*  
*ligat aliquis duas manus ejus columnæ (PALO in terram*  
*defixo) ab utroque latere: quo facto minister synagogæ*  
*(ANGELVS ecclesiæ vel judicium) prebendit ejus vestes,*  
*nihil moratus, sive rumpantur illæ sive dissolvantur, donec*  
*pectus ejus denudaverit. Pone illum lapis positus, in quo*  
*minister synagogæ consistit, habens in manu sua lorum vitu-*  
*linum duplicatum, cujus plica una in duas abit, duæ in qua-*  
*tuor. Duo autem lora ascendunt & descendunt in eo (la-*  
*xari possunt & contrahi). Manubrium palmi longitudi-*  
*nem habet, ipsum quoque lorum latum est palmum, tam*  
*vero longum, ut extremitas ejus ad umbilicum pertingat.*  
*Tertiam plagarum partem antrorsum, duas vero reliquas*  
*retrosum ei infligit. Neque vero erectum flagellat aut se-*  
*dentem, sed inclinatum, secundum illud, quod Deut. XXV, 2.*  
*præcipitur: ET PROSTERNET EVM JVDEX. Cæ-*  
*dens una manu cedit, quantis potest viribus. Interim præco*  
*hæc verba recitat Deut. XXVIII, 58-59. SI NON CVRAVE-*  
*RIS FACERE cet. MIRABILES FACIET DEVS PLA-*  
*GAS TVAS cet. quam pericopam idem repetit. Porro: ET*  
*OBSERVABIS VERBA FOEDERIS HVIVS Deuter.*  
*XXIX, 9. Claudit tandem verbis Pf. LXXVIII, 38. ILLE*  
*VERO MISERICORS EXPIABIT PECCATVM; que*  
*itidem repetit. Quibus plane consentanea sunt, quæ*  
*Maimonides habet in Sanhedrin c. XVI. nisi quod expli-*  
*catius ille nonnulla dicat; v. c. nudum oportere cædi,*  
*nec vestimentis tectum, quia Deut. XXV. 2. præcipia-*  
*tur: Cædet ILLVM, adeoque non vestimentum ejus.*  
*Lora duo, quæ ascendisse & descendisse Mischna dicit,*  
*ex co-*

ex corio esse asinino. A flagrifero requiri omnino, ut intelligens ille sit, non item ut robore magnopere polleat.

§. IV.

His ita explicatis, penitus nunc inspicere licebit verba Pauli superius proposita. Vix aptiori figura uti poterat apostolus, pro calamitatibus & cruciatibus, quos ipse pateretur, vivide effigiandis, quam si eos sub idea pœnæ modo memoratæ repræsentaret, maxime cum ipsi ejusdem pœnæ acerbitas sentienda fuisset quinquies 2. Cor. XI. 24. *Sibi datum* affirmat PALVM *carni*, non *in carne* aut *carni infixum*, εἶδόν μοι σκόλοψ τῆ σαρκί, vinculo significaturus non leviori se teneri & impediri, ac illum, qui flagrorum ictibus lacerandus adtringatur palo, nec mitius secum agi, quam cum tali homine. Σκόλοψ quidem, ut Lexica docent, palum proprie notat præacutum, qualis adhiberi solet in munitionibus & ubi corpus alicujus scelerati ligno est trajiciendum; quod excrucians supplicii genus hodiernum in Ægypto non infrequens. Vide Thevenotii Itinerar. p. I. l. II. c. 79. Vnde existimare forte quis posset, non quadrare nomen hoc ad lignum istud, cui flagellandi manus alligabantur, quippe quod, *columnna* appellatum a Talmudicis, superficiem habere debuerit planam, ut corpus incumbentis lethali vulnere ne læderet. Verum, quamvis speciem hæc habeant, cogitandum tamen, in ejusmodi allusionibus non accuratam semper haberi vocabulorum rationem, sed voces nonnunquam adhiberi, quarum specialior & restrictior est significatus, quam quidem res, ad quam respicitur, requirit. Porro קורמ *columnnam* vocant Hebræi lignum quodvis, aliqualis crassitie, e terra per modicam altitudinem prominens; sive cylindri formam illud habeat, sive in conum inferne desinat. Denique σκολοπις dici etiam posse lignum, cujus pars inferior acuta sit, qualem fuisse columnnam, ad quam fontium ma-

B

nus

nus vinciebantur, non obscure innuunt R. Salomo Isaacides & R. Obadias de Bartenora, in Commentariis suis ad Mischnæ locum supra allegatum, quando עמור expouunt: עץ אחד נעוץ בקרקע *lignum terræ infixum*, ubi vox נעוץ attentionem meretur, utpote quæ de rebus ab imo acutis maxime usurpatur. Vide paraphrasin Chaldaicam Jud. IV, 21. 1 Sam. XXVI, 7. Unde נעוץ foramen est supra latum, infra angustum. Quo observato עץ נעוץ בקרקע *lignum erit inferne acuminatum in terram defixum*, quod *palum* f. *vallum* appellare solent Latini, σόλοπα Græci. Palum istum tantæ altitudinis fuisse observat jam laudatus R. Obadias de Bartenora, ut commode illi inniti posset homo. R. Jomtobh in תוספות f. additionibus suis, ex sententia R. Juda bar Nachman, ad duos circiter cubitos, vel cubitum saltem unum cum dimidio, truncum affurrexisse tradit, ad quem homo alligatus positum reulerit ejus שסמור על כריח דלת ותולה ידיו למטה *qui juncto corpore portæ alicujus repagulo, f. vecti transverso, manibus, ex aversa repaguli parte demissis, terram quasi attingere conetur*. Porro dum *carni* suæ palum datum memorat Paulus, idem hoc est, ac si *corpori* dixisset datum. Quippe caro pro corpore Hebræis accipitur sæpius. Ita v. c. Davides Psal. XVI. 19. lætus exclamat: אך בשרי ישכן לבטח, quod græcus interpres transtulit: ἡ αἰξ μου κατιστηνάσκει ἐπὶ ἐλπίδι, *Utique caro mea (corpus meum) habitabit in fiducia*. Denique ἐδῶθη non *infixus est* significat, sed *datus, junctus est* palus corpori, vel corpus junctum palo, ut premat corpus palum & ab hoc prematur. Qualem sui aspectum præbebant flagellandi, quorum corpus stipiti, cui incumbebant, ita arte erat conjunctum, ut nihil relinqueretur spatii. Tali fere modo palo se quasi alligatum profiteretur Paulus, quod, quamvis durum, valde tamen salutare sibi fit, cum superbiam reprimat ac efficiat, ut כפוף ומוטה, *incurvatus*

th

nis veluti sit & *inclinatus*, instar ejus, quem vincula, quibus manus in palo non admodum alto adstringantur, caput erigere, aut recto corpore consistere non fiant.

§. V.

Quæ nunc addit apostolus paulo quidem sunt explicatiora, involucro tamen omni non carent. *Angelus*, inquit, *Satanæ*, ut *colaphis me cedat*, quæ verba phrasin quidem præcedentem magis illustrant, non tamen idem prorsus ac illa significant. Ellipsin hic statui-  
mus particulæ καὶ, quæ infinitis in locis omittitur, ex scopo & contextu facile supplenda; quod exemplis demonstrari posset plurimis, nisi dubium ea de re nullum esse crederemus iis, qui sacri codicis lectioni sunt assueti. Quod si igitur hanc admiseris orationis structuram: ἐδόθη μοι σκόλοψ τῆ σαρκὶ καὶ ἄγγελος σατάν, ἵνα με κολαφίσῃ facile apparebit, formula hac posteriori: καὶ ἄγγελος cet. rem indicari ab illa, quam per σκόλοπος significaverat apostolus, diversam. Vt autem intelligamus, quorsum appellatione istac ἄγγελος σατάν collineaverit, observandum primum erit, *angeli* vocem ita late solere sumi, ut quemvis designet nuncium, legatum vel ministrum, five genius ille sit bonus aut malus, five homo. Sic Johanni baptistæ, appropinquantis regni Christi præconi, hujusque præcursori angeli nomen tribuitur Marc. I. 2. Johannis discipulis, quos ad Christum ille ablegaverat Luc. VII. 24; ecclesiarum Asiaticarum episcopis Apoc. I. 20. II. 1. 8. cet. quorum quidem appellatio, ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας originem traxit ex Hebr. מַלְאָכִים, quomodo eum vocare jam olim Judæi siveverant, quo, tanquam legato aliquo & sacrorum administro, utebatur illorum synagoga seu ecclesia, maxime ut inter precandum toti cætui voce sua ille præiret. V. Campegi. Vitringa *anacrisin apocalypf.* p. 25. & *synagoram veterem* P. II. l. III. c. 2. & 3.

militer in his Pauli verbis respectus est non tam ad spiritum, quam ad hominem aliquem. Equis autem ille? Sponte se hic nobis offert חזן הכנסת, *minister synagoga*, cujus in citato Mischnæ loco has fuisse partes vidimus, ut flagris caderet fontem. חזן vero alio nomine שליח צבור, ἄγγελον τῆς ἐκκλησίας, *legatum ecclesiae* fuisse dictum agnoscunt philologorum haud postremi. Vnde non difficile iudicatu, voce ἀγγέλω ad hunc alludi. Mavult quidem R. Obad. de Bartenora חזן הכנסת שליח בית דין *legatum* l. ministrum *judicum* interpretari, res tamen eodem recidit, cum æque commode hic, atque שליח צבור, ἄγγελος græce appellari possit.

§. VI.

Ordo nos ducit ad vocabulum σατανᾶ, *Satana*, a cujus angelo male se haberi conqueritur Paulus. Non negamus, passim hoc nomine in libris sacris inimicum & nocivum humano generi notari spiritum, id tamen extra dubitationem positum est, hanc vocem, vi notationis suæ, quemvis designare adversarium inter homines quoque. Ita I Reg. XI, 14. dicitur *Deus excitasse Salomoni שש Satanam*, adversarium, *Hadadum Edomæum*. I Sam. XXIX, 4. nolunt Philistæorum principes Davidem in belli venire societatem, veriti ne שש, adversarius ille ipforum evadat in media pugna. A novi testamenti scriptoribus eadem vox, eodem, quem indicavimus, sensu, postea fuit usurpata. Exempli loco verba sunt Christi, quibus a se desistere jubet Petrum, opinionibus Judaicis nimio opere fascinatam: ἄπαγε ὀπίσω με Σατανᾶ, *apage post me Satana*, Matth. XVI, 23. Eodem modo *Satanas* hostis hic erit & adversarius Pauli, qui quis fuerit postea docebimus; *angelus* autem *Satana* hostis illius minister ac servus. Quod si verò quis communioem nominis notionem, qua malus designetur spiritus, & hic retinendam censeat, illi quidem litem non mo-

movebimus, cum vel sic orationis sensus exurgat satis commodus. *Angelus Satanæ* homines tunc erunt, quibus, tanquam instrumentis suis, usus Satanæ ad nocendum Paulo. Quomodo apocalypseos scriptor Judæorum turbam *synagogam* appellat *satanæ* c. II, 9. III, 9. quod ipsum *satanam* impulsorem illi haberent suum ejusdemque nutus sequerentur.

§. VII.

Tandem illud ipsum, quod a *Satanæ* angelo perferendum sibi esse indicat Paulus, *ἵνα με κολαφίζῃ*, ad flagellationem ipsam respicit. Quamvis enim ad eam pœnam exprimendam verbum potius *μαστιγῶν*, quam *κολαφίζω* adhibendum fuisse videatur, tamen hic iterum observandum venit, quod ad *οἰόλοπα* jam monuimus; videlicet in metaphoris & alludentibus vocabulorum accuratationem exactam non ubivis servari: uti ipsum *μαστιγῶν* Hebr. XII, 6. *plagas* notat *infligere* quovis modo. Ut taceam studio usum videri apostolum verbo *κολαφίζω*, ut afflictiones se experiri indicaret cum *ἕρπον*, *ignominiiis* & *indignitatibus* variis, quarum v. 10. meminit conjunctas. Nam flagris cædi non tam ignominiosum erat apud Judæos, quam colophos pati, quod fervile habebatur & probrosum. Quid? quod idem apostolus I. Cor. IV, II. *κολαφίζεσθαι* se dicit, significatu generaliori. Recenset ibi varia mala, quæ ipsum circumstant & sæpius vexent; at vero colaphos rarius, quam flagra & virgas, sentire cogebatur.

§. VIII.

Itaque in verbis hisce Pauli ad universum flagrorum supplicium apta latet allusio, pro qua ostendenda hæc dicta sunt hæctenus. Illud nunc superest, ut, quæ mala sermone isto figurato significare voluerit Paulus, exponamus. Hæc quidem unico nomine *ἀδυναμίας*, *infirmittatis*, comprehendit v. 9. quod ipse statim explicat v. 10. per

*ἰβρεῖς, ἀνάγκαι, διωγῶδες, στενοχωρία, ignominias, necessitates, persecutiones, angustias.* Nimirum demonstraverat Paulus in antecedentibus, dignitates & merita sua non modo nihil cedere pseudapostolorum dignitatibus & meritis, sed & ea multum superare. Agnoscit etiam humanæ naturæ imbecillitatem, quæ efferri facile possit ex istis prærogativis, nisi obstacula inveniret grandia; imitti autem hæc sapienti Dei consilio, ut animum superbia ne occupet. *Datum* ideo sibi *palum carni*, esse plurima, quæ prohibeant, quo minus cristas erigat, aut de meritis suis & privilegiis nimium gloriatur. Nihil magis quidem cupiebat apostolus integerrimus, quam ut res evangelica majora indies caperet incrementa, & si fieri posset, totum terrarum orbem impleret. Nullum non ideo subibat laborem, nullas subterfugiebat molestias, nulla pericula, ut quod optaret perficeret. Re ipsa autem experiebatur optatis eventum non semper respondere, ob infinita, quæ homines male fani & pessimi injicerent, impedimenta. Inprimis Judæorum aliqui, religionis vel superstitionis potius defensores rigidi, ubi vis fere locorum obicem ponere doctrinæ evangelicæ summo studio allaborabant, & Paulo, ejus propugnatori strenuo, omnibus viribus obniti pulcrum existimabant. Quibus rebus fiebat, ut ligatas ille quasi haberet manus, nec posset evangelium ex voto & tanto, quanto quidem vellet, cum successu late spargere; ut deprimeretur & a fastu præmuniretur, similis factus ei, qui manus ad humilem palum devinctas habens, libere illis uti, aut corpus, quod vinculorum vi deorsum trahitur, erigere nequit.

§. IX.

Neque vero satis hoc erat, ut successus rei christianæ impediretur, eo quoque furoris procedebant Judæi, ut Paulum indignissime tractarent. Si qua penes ipsos erat potestas, ea ad Paulum misere affligendum & ex-



& excrucium abutebantur; si vero potestas omnis gentilibus, inter quos habitabant, esset relicta, horum tamen odium adversus illum provocabant. Nec contenti erant iis in urbibus, quas ipsi incolerent, insectari Paulum & varias molestias eidem exhibere, calamitates afferre, ad loca etiam alia, ubi Paulum versari intellexerant, ablegabant ex suis, qui turbam in illum concitarent & in ejus perniciem omnia converterent. Cujus pessimi consilii exempla acta dant apostolorum. Cum Lystris esset Paulus & doctrinam Christi ibi profiteretur, mox aderant ex Antiochia & Iconio Judæi, qui, cum finibus suis antea eiecissent apostolum, commota nunc plebe faciebant, ut lapidibus ille obrueretur Aët. XIV. 19. Idem erat facinus Judæorum Thesalonicensium in Macedonia, qui, ægre ferentes Paulum in Berrhoensium urbe insigni cum fructu evangelium prædicare, statim mittebant istuc, qui populum contra eum irritarent. Cujus sceleris memoria facile recurrebat Paulo, cum in Macedonia nunc degeret, unde hanc ad Corinthios misit epistolam. Tales igitur erant *Satanæ angeli*, infensissimorum hostium, Judæorum, ablegati & emissarii, aut, si mavis, Judæi generatim omnes, evangelio repugnantes, mali spiritus instrumenta, qui Paulo non minorem dolorem creabant, quam si plagis eum perpetuo afficerent acerbissimis. Nuperum erat, quod ab Alexandro Judæo Ephesi, unde in Macedoniam venerat apostolus, fuerat passus, quo homine, tanquam propugnatore & antepilano suo, contra Paulum utebatur synagoga Ephesina. Vid. 2. Tim. IV, 14. 15. & cf. Aët. XIX. 33. 34. Durissima judicabatur flagrorum pœna, adeo ut in reis infirmioribus mortis etiam crederetur effectrix, experientia non refragante. Æque duras & acerbis illas esse afflictiones innuit Paulus, quas a Judæis, & iis, qui illorum instinctu vel jussu se infestarent,

starent, quovis tempore experiatur. Omnia vero ista salubri fine sibi contingere iterum confitetur, ne idem sibi accidat, quod usu venire solet illis, qui in exoptata rerum prosperitate sunt constituti, ut spiritus sumant & efferantur animo. Se quidem tantorum cruciatuum & malorum pertæsum *ter*, h. e. sæpius, *orasse dominum, ut amoveretur palus & abscederet satanæ angelus*, ut definerent tandem Judæi veritati obfistere, & hostiliter secum agere; responsum vero tulisse hoc: *Sufficit tibi gratia mea*, quam cumulatam expertus es; *virtus enim mea infirmitate*, afflictionibus, *perficitur*, his non obstantibus, cœpta tua virtute divina prosperari & secundari senties. Vna *infirmitatis* voce, quod supra jam notavimus, idem hic dicit, quod toto v. 7. sub aliquo symbolo dixerat.

§. X.

Quare figuratæ, qua Paulus v. 7. utitur, orationis sensus integer erit hicce: Me forsân fastus aliquis ex prærogativis meis invaderet, si ex voto meo semper res succederent, ac retinacula abessent omnia, nec diræ obfarent calamitates & vexationes, quibus me premunt Judæi, hostes veritatis jurati, quorum in extirpando christianismo studium est indefessum. Tantæ autem adversitates, cum quibus luctandum mihi est, facile efficiunt, ut spiritus, qui subnasci mihi possent, omnes suffocentur ac reprimantur.

§. XI.

His igitur, quæ per conjecturam, vero, ut arbitramur, non valde dissimilem, hætenus proposuimus, admissis, plana putamus fore nunc omnia, ut opus non sit cum JOH. CLERICO, docto ceterum interprete, ad singularis cujusdam cacodæmonis confugere vexationes, qui Paulum ubivis sit comitatus.

☞ ): ( o ): ( ☞

00 4 6466

ULB Halle  
002 937 239

3




Sb.

VO 17

2400

HL 74





14

DISQVISITIO PHILOLOGICA  
CONIECTVRALIS  
DE  
**PALO CARNI PAVLI**  
**DATO.**

---

*AD ILLUSTRANDVM II COR. XII, 7.*  
*INSTITVIT*  
**M. JO. GOTTF. LAKEMACHER.**

---

*HELMSTADII*  
TYPIS HERM. DANIELIS HAMMII ACAD. TYPOGR.

51-0

